

rantibus ipsis intelleximus tribulationes, angustias et calamitates ipsius Regni, quas per Turcorum incursum nouissime percepit; de quibus licet maxime doluerimus et tanto maiorem receperimus animo molestiam, quanto ipsius Regni nostri incommodum Maiestati nostre magis quam alteri iure dolendum sit. Tamen id nobis graue imprimis et molestum est, quod ad alia maxime urgencia Regni nostri negocia occupati et distracti defensionem illius Regni personaliter non possimus, propterea maxime optaremus, succurrere, et nos ipsos iuxta desiderium nostrum exponere in protectionem ipsius Regni nostri. Verum ne nobis hisce belli occupationibus, ad quod hostilis insultus et maxime Regni nostri defensionem nos excitauit, intentis, interea Regnum illud, ex negligencia, maiora suscipiat dampna et iacturas, prouidendum duximus, ut ad communem Regni illius defensionem, tam maiorum quam minorum auxilia concurrant; ut collatis inuicem viribus facilis Regnum incursandi infidelibus eripiat. Commisimus igitur fidelibus nostris Magnificis Johanni Thuz de Lak, et Ladislao de Egervara Regnorum nostrorum Sclauonie et Croatiae Bano, ut ipsi vniuersitati illius Regni nostri et omnibus vobis vnam generalem Congregationem indicant, et ad vnum diem per ipsos prefigendum vniuersitatem illius Regni nostri et vos omnes, nemine penitus excepto, personaliter conuocent. Mandamus itaque fidelitati vestre et vestrum cuiuslibet sub debita fidelitatis obediencia, quatenus receptis presentibus, iuxta requisicionem et informacionem prefatorum Johannis Thuz et Ladislai Bani ad diem et locum, quem ipsi vobis prefixerint, inter alios fideles nostros, quibus similia scripta misimus, conuenire, et id, quod illic circa defensionem illius Regni per vniuersitatem Nobilium, et per vos omnes pari voluntate conclusum et ordinatum fuerit, obseruare debeatis, et aliud, propterea bonum illius Regni desideratis, et mandata nostra obseruare vultis, facere non debeatis. Datum in Oppido nostro Korneuburg in festo sancti Luce Euangeliste. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Hungarie etc. vigesimo, Bohemie vero nono.

(*Sigillum Regium rubra cera impressum.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 44. *)

*) Huc pertinet Documentum superius sub Nro. CXLIII. erronee ad annum 1467. positum.